



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput I. De Sponsalibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

TRACTATUS  
DE  
SACRAMENTO  
MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM.

*De Sponsalibus.*

§. 1. *De Sponsalibus, eorum effectibus &c.*

**E**X laudabili Ecclesiæ consuetudine, & lege Canonum sponsalia matrimonio præmittuntur, non ut matrimonium sit ratum, sed ut sit sanctum, ut scilicet interea fieri possit exactior disquisitio, an ab utraque parte non sit aliquod impedimentum, an personæ sint legitimæ, & liberæ, quæ contrahere volunt; deinde ne temerè, ac repente accedant, & ineant talem societatem per vitam alterutrius duraturam.

Sponsalia sunt, *futuri matrimonii mutua promissio cum consensu per verba, aut signa æquivalentia expresso, ut nummi fractione &c.*

Effectus sponsaliorum est *obligatio mutua & diremptio matrimonii in primo gradu.* Hæc autem obligatio est sub mortali, quia est in materia absolutè gravi.

Ex dictis constat, ad sponsalia non sufficere merum propositum ab utraque parte manifesta-

statum, debet enim esse promissio reciprocae obligationis.

P. 1. Quem effectum habent sponsalia contracta inter consanguineos, & affines sub hac conditione: *Contraho tecum, si Pontifex dispensabit?*

R. 1. Si Pontifex soleat dispensare in tali gradu, certum est, valere sponsalia, quia conditio est honesta, & possibilis: si autem Pontifex non soleat dispensare in tali gradu, non valent sponsalia, saltem in foro externo, quia conditiones extraordinariae non solent similibus comprehendi, neque in isto foro censentur possibiles.

Non video tamen, quare valere non possint in foro conscientiae, si Pontifex possit dispensare, & promittentes se serio obligaverint sub conditione posita.

2. Assigna casus, in quibus sponsalia valide contracta dissolvuntur?

R. 1. Mutuo consensu, etiamsi fuerint iuramento firmata, quia iuramentum sequitur naturam contractus, & est solum confirmatio oneris in contractu impositi, unde, si cesset onus ejusmodi, cessat etiam obligatio iuramenti. 2. Si superveniat notabilis in comparte mutatio, ratione cujus habeatur justa causa resiliendi à promissione, quia id etiam locum habet in aliis promissionibus. Advertendum tamen, quòd in utraque parte non cesset obligatio; sed tantum in illa, quae est innocens, unde si sponsa post sponsalia fiat infamis, obli-

obligabitur adhuc Titio, non reciprocè Titius  
Caia. Ex dictis sequitur

1. Si post inita sponsalia deprehendatur, quòd sponsa non valeat præstare dotem promissam, vel quia fefellit, vel subitò est depauperata, potest sponsus à contractu sponsaliorum resilire.
2. Si sponsa putabatur virgo, & non sit, vel quia antè fornicata est, vel etiam, quia postea violentè oppressa est.
3. Si incidat in lepram, morbum caducum, vel etiam in notabilem deformitatem, aut corporis mutilationem &c.

Possunt etiam sponsalia aliis modis dirimi.

1. Per ingressum Religionis. 2. Per susceptionem Ordinis sacri. 3. Si inita sint cum errore personæ; item, si supervenerit cognatio, vel affinitas, ut V. G. si sponsus fornicetur cum sorore sponsæ, vel si unus levet de Fonte prolem alterius.

Idem dic, si cognatio, vel affinitas sit antecedens, & non sit apposita conditio: *Si Pontifex dispensaverit*; si autem sit apposita, & Pontifex soleat in ejusmodi impedimentis dispensare, manet obligatio sponsaliorum: si autem non soleat ita dispensare, censent communiter, conditionem esse impossibilem.

### §. 2. *Nonnulla resolvuntur.*

1. **A**N sponsi possint à Judice compelli ad matrimonium?

1. Aff. Saltem si sint sponsalia juramento firmata. Casus ille proponitur Alex. III. Cap. *Ex lueris Silvani*, de Sponsalibus, &c. qui respondet, sponsum, tenuentem exequi sponsalia juramento firmata, esse ab Episcopo admonendum; deinde si monitis non acquieverit, Ecclesiasticâ censurâ compellendum, nisi rationabilis causa obstiterit.

Non debet tamen Judex Ecclesiasticus facile devenire ad censuras, quia coactiones ejusmodi habent crebrò tristes eventus, maximè si sponsus renuens contrahere multùm abhorreat ab altera comparte, & periculum sit, ne vel fictè consentiat in matrimonium, vel si sufficienter consentiat, versentur in perpetuo statu damnationis, V. G. propter rixas, odia, denegationem debiti &c. quam ob causam plerique suadent, ut judex spontè removeat censuram, si, postquam inflixit, advertat nil prodesse.

2. An possint contrahi sponsalia conditionatè?

R. Aff. Quia id commune est aliis promissionibus; pendente tamen, & nondum impletâ conditione non sunt in rigore sponsalia, quia tunc nondum obligantur sponsi ad ineundum matrimonium, sed tantùm obligabuntur, quando implebitur conditio.

Cæterùm, quamdiu pendet conditio, non est integrum sponsis à sua promissione resilire, sed obligantur ad expectandum eventum conditionis appositæ, quâ impletâ, contractus conditionalis transit in absolutum, & absolutam patit obligationem.

Z

3. Utrùm

3. Utrum sponsalia per copulam subsequen-  
tem transeant in matrimonium?

R. Ante Trid. transisse, quando copula sub-  
sequebatur utriusque consensu, ut habetur Cap.  
*His qui fidem*, de Sponsalibus, & hoc ideo, quia  
non præsimebantur sponsus & sponsa conve-  
nisse affectu fornicario, sed animo adimplendi  
promissionem sponsalitiã, & affectu maritali:  
post Trid. autem non transeunt in matrimo-  
nium, quia non solent adesse omnia requisita,  
dum exercetur copula ad valorem matrimonii,  
V. G. Parochus, & testes.

4. An matrimonium bonâ fide contractum,  
& propter defectum essentialẽ invalidum,  
V. G. ob absentiam Parochi, aut testium, ob-  
tineat vim sponsaliorum?

R. Nec obtinere illam vim jure naturæ, nec  
Ecclesiastico. Non jure naturæ, quia donatio  
facta contra Legem irritantem, non habet vim  
promissionis. Non jure Ecclesiastico; quia Trid.  
sess. 24. cap. 1. de Reform. absolutè irritat con-  
tractum matrimonialem eo modo initum, & in-  
habiles reddit similes personas ad contrahen-  
dum, & consequenter ad promittendum id,  
quod seclusâ dispensatione, præstare non pos-  
sunt.

5. Quâ ætate possunt contrahi sponsalia?

R. Jure naturæ non requiri certam ætatem,  
sed sufficere usum rationis, vi cuius haberi pos-  
sit consensus liber. Jure autem Ecclesiastico  
requiritur septennium, ut constat ex Cap. *Li-*

*terato*

*teras. & Cap. Accessit. & Desponsat. impub. ubi*  
exigitur septimus annus etiam completus.

6. An valeant sponsalia ante annum septimum contracta, dummodo habeatur usus rationis, & malitia suppleat ætatem?

*R.* Jure Ecclesiastico esse invalida, ut patet ex Cap. mox citatis, ubi generaliter declarat Alex. III. sponsalia ante septennium contracta esse nulla, neque fit exceptio casus, in quo malitia suppleat ætatem.

7. Quid si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor sponsalia contraxerint, vel parentes ipsorum pro iis?

*R.* Hunc casum proponi Cap. *Unico. de Desponsat. impuberum* in sexto, ac ita resolvi: *Nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu aliàs verbo, vel facto ipsorum liquidè appareat, eosdem in eadem voluntate, factos septennio majores, durare, sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt: Et ideò, cum sint nulla ratione defectus consensus, justitiam publicæ honestatis non inducunt.*

Quid sit justitia publicæ honestatis, dicetur infra.

8. An parentes, vel tutores possint contrahere sponsalia loco filiorum, qui septennium nondum attigerunt?

*R.* Aff. Ut constat ex Cap. *Unico de Desponsat. impuberum* in sexto. Non obligantur tamen filii, nisi accedente ætate liberè consentiant, ut habetur ibidem §. ult. nec ante eorum consen-

356 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.  
sum, sunt propriè dicta sponsalia, ideoque nul-  
lum inducunt impedimentum justitiæ publicæ  
honestatis.

9. An probanda sit communis praxis, juxta  
quam sponsi eodem die, vel pridè, quo con-  
tracturi sunt matrimonium, Sacramentaliter  
confiteantur, & communicent?

R. Hanc praxim regulariter esse improban-  
dam, sponsalia enim præmittuntur matrimonio,  
ut sanctius sponsi se ad illud suscipiendum dispo-  
nant: neque enim in quibusvis peccatoribus hæc  
dispositio obtinetur unius diei spatio. Quo-  
modo Confessarius debeat procedere cum iis,  
qui indispositi accurrunt ad confessionem, eo  
die celebraturi matrimonium, vide fol. 278.

§. 3. *Ex dictis resolvuntur Casus practici.*

#### C A S U S I.

**J**Oannes vult se obligare, dicitque Barbara: Pro-  
mitto tibi matrimonium; Barbara autem dicit,  
se necdum velle respondere, sed tamen ipsum  
habere obligatum; queritur, an Joannes, non ob-  
stante, quòd Barbara nolit respondere, promittendo  
se obliget?

R. Promissionem illam esse validam, etsi non  
sit sponsalitia, quia nihil ipsi deest ad rationem  
promissionis propriè dictæ.

#### C A S U S II.

**P**aulus in consortio plurium puellarum dicit:  
Promitto me unam ex vobis ducturum in uxorem;

illa



*Ille autem repromittunt vicissim; queritur, an Paulus contraxerit sponsalia?*

*R. Neg.* Nec oritur ex ea promissione impedimentum publicæ honestatis. Ratio est, quia non est contractus inter personas determinatas, quod requiritur ad valorem sponsaliorum.

Dato igitur, quòd illæ puellæ nobiles fuerint consorores, poterit Paulus validè contrahere matrimonium cum matre vidua ipsarum.

## CASUS III.

*Jacobus contrahit sponsalia cum Isabella, sed hæc mutuo consensu dissolvuntur. Postea contrahit matrimonium cum Maria sorore Isabella; queritur, an matrimonium fuerit validum?*

*R. Neg.* Ratio enim, quare Ecclesia induxit hoc impedimentum publicæ honestatis, adhuc subsistit, licet priora sponsalia fuerint soluta, quia indecens est inire matrimonium cum illa, cujus consanguineæ te aliquando desponsasti.

Resolutio locum obtinet, si Jacobus post contracta sponsalia cum Isabella, ingrediatur & profiteatur in Religione approbata, & Isabella jam a sponsalibus libera, contrahat matrimonium, illudque consummet cum fratre Jacobi, ex quo proles suscipit: propter eandem rationem, & matrimonium est nullum, & proles est illegitima.

## CASUS IV.

*Petrus promittit matrimonium Annæ hereticæ, postmodum cognoscit Barbaram Catholicam, sororem Annæ. Queritur 1. cum utra ex duabus debuerit contrahere? 2. Quid si contigerit Annam mori?*

R. Ad 1. Quòd cum neutra potuerit matrimonium contrahere: non cum Barbara; quia obstat impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validis, ut supponitur, dirimens matrimonium in primo gradu: non etiam cum Anna; quia obstat impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens.

R. 2. Ne quidem, Annâ mortuâ, potuit iniri matrimonium inter Petrum & Barbaram: quia impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus permanet post mortem, sicut etiam impedimentum affinitatis.

C A S U S V.

*Cajus fornicatus cum Titia, postea desponsavit sibi sororem eius Annam. Queritur, utram possit in uxorem ducere?*

R. Quòd Paulus Layman videatur sentire, Cajum neutram potuisse in uxorem ducere: sed meo iudicio, minùs rectè; cum manifestum sit, ut ex sequentibus patebit, Cajum posse Titiam in uxorem ducere.

C A S U S VI.

*Antonius sponsalia contraxit cum Catharina, quam postea duxit uxorem Philippus frater Antonii, sed matrimonium non consummavit. Quæsitum fuit, possitne Antonius Catharinam in uxorem ducere?*

R. Aff. Layman. Opinio tamen negativa mihi videtur certior ob arctius matrimonii vinculum. Ita Bonacina in Tract. de Matrimonio q. 3. puncto 11. num. 20.

## CASUS VII.

*Cornelius contrahit sponsalia cum Lucia, postea contrahit alia sponsalia cum Susanna, eaque iuramento non tantum confirmat, sed etiam commercio carnali approbat: Queritur, an priora, an posteriora fuerint valida?*

R. Quod mihi arrideat sententia Estii in 4. dist. 27. dicentis, priora sponsalia in suo vigore mansisse. Rationem adfert *Ostiensis* de Sponsalibus num. 11. fol. 194. scilicet quod iuramentum non sit vinculum iniquitatis.

## CASUS VIII.

*Magdalena post contracta sponsalia legitime cum Andrea, per vim ab uno tertio opprimitur; quod intelligens Andreas, vult resilire à sponsalibus. Verum Magdalena quoque monita, Andream ante sponsalia fornicatum fuisse, pretendit, involuntarium corporis vitium compensari per precedens Andrea delictum. Duo in questione ventilantur. Primum, an violenta Magdalena oppressio sponso de causa sufficientem resiliendi à sponsalibus? Secundum, an, dato, quod sit causa sufficiens resiliendi, exceptio Magdalena adversus Andream sit admittenda?*

R. Ad 1. Violenta illa oppressio sufficiens causa est Andreae resiliendi.

R. Ad 2. Exceptio Magdalenae videtur rationi & æquitati valde conformis.

## CASUS IX.

*Philippus contractis sponsalibus cum Joanna, & cum ipsa habito carnis commercio, illam à Patre*

*promissorum, sed non stupri conscio, sapè sapius in uxorem postulat. Renuit pater, & filia per minas suadet, ut promissa relaxet: quo facto, Philippus jurata sponsalia contrahit cum alia; interim Joana apparet gravida de Philippo, quod observans pater instat, ut illam nunc in uxorem ducat, minando alioquin utrique mortem. Ille, fide sibi relaxatâ, & de novo alteri cum juramento datâ, se excusat, & ad angustias redactus, ad Confessarium recurrit, petens, utram debeat ducere?*

Resolvo cum Ludovico de Beia, quòd debeat ducere primam, quia pater vi iniquâ impulit filiam ad renuntiandum promissioni datæ.

## C A P U T II.

### *De Sacramento Matrimonii.*

**S. Unicus.** *Quid sit Matrimonium, & quando institutum?*

**M**atrimonium considerari potest vel sub ratione contractûs, vel sub ratione Sacramenti.

Matrimonium in ratione contractûs est, *Viri, mulierisque conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuum vitæ societatem retinens.*

Matrimonium ut est Sacramentum, in communi sententia definitur: *Sacramentum novæ Legis, in quo vir & mulier per conjunctionem maritalem individuum societatem ineunt.*

Matrimonium quatenus est in officium naturæ primitus ordinatum, id est, ad procreationem prolis, institutum est ante peccatum, & verosimi-